881
X2.Yr

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class 881 Book X2.Yr Volume

CLASSICS
DEPARTMENT

F 11-20M

QUAESTIONES XENOPHONTEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFRED RAUSCH
TREFFURTENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXI.

881
X2.Yr

5 mag 11 N. O. G.

MAXIMILIANO BAEGE

AMICO

D.

180400

Ὄλβιος ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι
Ϟηρευταί τε κύνες καὶ ξένοι ἀλλοδαποί.

THEOGNIS.

Particula I.

De ratione, quae Xenophonti cum poetis Graecorum intercedit, qui ante eum floruerunt.

Platonis de poetis sententia memorabilis iam dudum eorum oculos in sese convertit, qui eius philosophiae illustrandae operam dederunt. Nuper autem denuo accuratius in hanc rem inquisivit Theodorus Heine, qui libello „de ratione, quae Platoni cum poetis Graecorum intercedit, qui ante eum floruerunt" inscripto quid Plato de singulis Graecorum poetis senserit apte et distincte demonstravit. Si quis vero eodem modo investigare et examinare instituit, quae ratio cum poesi intercedat Xenophonti, vix cuiquam mirum videbitur, quoniam et Plato et Xenophon a Socrate acceperunt disciplinam. Ad Socratis autem placita atque disciplinam studium poetarum, qui fere soli ad id tempus „de vita et moribus rebusque bonis et malis" quaesiverant, permultum valuit. Praeterea iam antiquitus necessitudinem quandam, quae nonnullis aemulatio atque etiam obtrectatio videbatur esse, intercedere inter Xenophontis Platonisque opera quamvis imparia intellexerunt.[1]) Nam duo exstant libelli ab his conscripti, quorum uterque convivium Socratis eiusque amicorum describens perspicue in altero respicitur,[2]) et haud inepte facere videntur, qui Xenophontis Cyro-

[1]) cf. Athen. XI p. 504 E; (Diog. L. II, 57;) Boeckh. op. IV p. 4 sqq: De simultate, quae inter Platonem et Xenophontem intercessisse fertur.

[2]) cf. praecipue Xen. Conv. VII, 32—36 et Plat. Conv. 178 E; de horum locorum ratione varie iudicaverunt Thierschius spec. ed. Sympos. Plat. p. 7 sqq; Boeckhius l. l. p. 9 sqq; A. Hugius ann. ad l. c; Schenkelius studd. Xenoph. III Scripta Acad. Vindob. LXXXIII p. 146.

paediam cum Republica Platonica comparant. (cf. Gell. N. A. XIV, 3,3. A. Krohn, Sokrates und Xenophon p. 74.) Sed quamquam ambo ab eadem prosapia sunt profecti et cum iisdem fere amicis a puero consuetudine coniuncti fuerunt, ut per totam vitam cognatio manifesta maneret, tamen etiam dissimilitudines haud exiguae inter eos intercesserunt. Alter enim a philosophiae studiis nunquam recessit, alter simulac aetas ex Socratis magisterio excessit, dux celeberrimus evasit; cum autem solum vertisset, ad otium recedens rebus rusticis se dedit. Quare haud inutile videtur, quorum potissimum poetarum quantamque notitiam prodat Xenophon quaerere et Sengebuschii iudicium (dissert. Homerica I. p. 139.), quod qui legit facere non potest quin improbet, in severius vocare examen et si fieri potest corrigere.

Sed alia quoque accedit causa, cur ex Xenophontis scriptis omnia de poetis dicta colligere operae pretium videatur esse. Oratione enim ipsa et elocutione eius adducimur, ut quosnam potissimum poetas adamaverit et in deliciis habuerit sciscitemur; nam iam antiquitus res fuit notissima, Xenophontem permulta vocabula glossematica et poetica orationi immiscere. Quocirca ex nullo scriptore plura vocabula, quae aut ex poetarum oratione aut ex Doriensium Ionumve dialecto fluxerunt, a grammaticis veteribus annotata invenimus quam e Xenophonte (cf. Lobeckium ad Phrynich. p. 89 sq.) Sed ea res tam saepe tractata est, ut tantum non molestum sit dinumerare, quid quisque ad hanc rem illustrandam attulerit, praesertim cum hanc rem penitus pertractare a nostro proposito alienum sit. Quapropter hoc loco sufficit ad G. Sauppii de hac re disputationem uberiorem relegare op. Xen. vol. I. p. XIV sqq; vol. V p. 298 sqq; Lexil. Xenophont. Nostra autem in quaestione hanc rem ita tantummodo attingere debemus, ut totius rei causam demonstremus. Itaque quod Xenophon permulta alienarum dialectorum vocabula, quae respuit Atticistarum severitas, in sermonem suum asciscere non dubitavit, eius rei in promptu est explicatio, et iam Helladius apud Photium bibl. cod. 279 p. 533 b 25 sq. rem ita expedivit: εἰ δὲ καὶ Ξενοφῶν εἴρηκε τους νομεῖς, οὐδὲν θαυμαστόν, ἀνὴρ ἐν στρατείαις σχολάζων

καὶ ξένων συνουσίαις εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς· διὸ νομοθέτην αὐτον οὐκ ἄν τις ἀττικισμοῦ παραλάβοι. Attamen dixerit quispiam mirum esse et vix credibile Xenophontem virum tam „capitali ingenio“ [1]) praeditum sermonem vocabulis peregrinis contaminare ac tam putido ornamento fucare voluisse, postquam usque ad aetatem corroboratam vitam Athenis degit, Socratis viri Atheniensis informatione usus est, postquam immerserat se penitus, ut ex Commentariis apparet, in praestantissimorum illius aetatis Atheniensium consuetudinem! Et profecto mirum est, quandoquidem eiusmodi res ex antiquitate nobis traditae non aliter atque apud nostrates existimandae nec minus, ut mea fert opinio, ad universam humani ingenii naturam revocandae sunt. Quam si sequimur, probandum sane est Xenophontem diutius patria ac civium consuetudine carentem paullatim ut mores ita sermonem quoque peregrinitati accommodasse in colloquio ac familiarium circulis, sed in scribendo Atheniensium dialectum, praesertim cum tunc temporis iam divulgari per totam Graeciam coepta sit, adhibitam esse expectandum est. Verum enimvero haec offensio minuitur, si accuratius ea vocabula, quae Xenophon ex alienis dialectis recepit, examinamus. Maxima enim pars in eorum numerum referenda est, quae pertinent ad certas artes aut militum aut luctatorum aut musicorum et a Xenophonte plerumque apud peregrinos una cum rebus accepta sunt. Restat tamen haud exigua eorum vocabulorum peregrinorum multitudo, quae non ex propria artis necessitate recepta sunt. In his explicandis accuratius circumspiciendum est et nonnulla de Xenophontis ingenio sunt disserenda.

Xenophon, quotiescunque argumentum aliquod tractandum suscepit, nusquam id secutus est, ut animus legentis ea re, quae est in manibus, plane occupetur et auctoris libelli obliviscatur. Quemcunque enim Xenophontis libellum legimus, semper oculis nostris mirum quantum obversatur scriptoris persona, Socratis discipuli, rerum militarium artis equitandi agriculturae peritissimi, ut semper facile de persona aut re, cuius in descriptione versatur narratio, coniectura augurari possi-

[1]) Valckenarius annott. in Xen. Mem.

mus, utrum Xenophonti ipsi probata fuerit an displicuerit atque passim etiam praecepta ex narratione ducta illico addantur. Quantum interest inter Thucydidis historiam et Hellenica Xenophontis! Ubique in historiae materia digerenda et eligenda studio suo ut non dicam libidini indulget; earum dumtaxat artium litteris mandabat praecepta, quae ipsi oblectamento erant. omnem ut breviter dicam cogitationem et actionem ad sui animi rationem dirigere solebat. Qua Xenophontei ingenii natura efficitur, ut facile aliorum quoque rationem perspiciat et cuiusque percipiat indolem. Quocirca primus copiosioribus morum descriptionibus introductis — id quod Socratis potissimum institutioni debere videtur — grave et egregium historiae addidit ornamentum. Haec igitur alienorum morum perspicua descriptio etiam eam vim habuit, ut in verbis eligendis personarum ac rerum describendarum naturam respiceret et quantum fieri poterat propria vocabula adhiberet. Pauca exempla sufficient ad hunc usum demonstrandum. Anab. VII, 1,8 introducitur Lacedaemoniorum harmosta dicens: . . . ὅτι οὐ ταχὺ ἐξέρπει το στράτευμα, quae verba Xenophon sine dubio propter gravitatem rei quemadmodum pronuntiaverat Laco penitus memoriae affixerat. Identidem facit Lacedaemonios orationem incipientes: ναὶ τω σιώ Anab. VI, 6,34; VII, 6,39; Hist. Gr. IV, 4,10. Et Herodotus V, 63 et Thucydides I, 111 nominaverant Thessalorum dictatores βασιλέας, apud Xenophontem primum occurrit vera appellatio ταγός Hist. Gr. VI, 1,8 et alibi; quod idem cadit in μόρα, quo nomine Lacedaemonii partem quandam exercitus significabant, Thuc. V, 68 Xen. Hist. Gr. II, 4,22; IV, 5,11. Hac igitur ratione, ne plura eiusmodi consecter, permulta aliena vocabula ab eo ascita explicanda sunt.

Eandem autem explicandi rationem Cobetus (Mnemosyne N. S. III p. 214 sqq.) ad cetera a sinceri atticismi usu recedentia vocabula transtulit, quae veteres grammatici ποιητικά vel τροπικά appellabant et recentiores quoque viri docti ex poetarum dictione fluxisse autumant. Ante Cobetum autem iam Fr. Haasius (de rep. Laced. p. 338) et Heilandus (Quaestio de dialecto Xenoph. p. 12) multa apud Xenophontem vocabula non tam poetica quam Laconica vel Ionica habenda esse cen-

sebant, quandoquidem permulta, quae apud Iones et Dores vulgaria essent, in Atheniensium oratione obsoleta antiquitatis et poeticae granditatis speciem prae se ferrent. Et hoc quidem negari non potest. Sed Cobetus huic explicationi nimium tribuit, cum in omnia poetica vocabula eam cadere arbitretur. Quod igitur censet: „In his omnibus X. deserta civium suorum consuetudine formis verbisque Atticis pauca Laconica et multa Ionica ex aequalium usu substituit et παρενόμησε μὲν (ut Phrynichi verbis utar) εἰς τὴν πάτριον διάλεκτον, sed nusquam γλωσσηματικοῖς οὐδὲ ποιητικοῖς ὀνόμασιν ἐχρήσατο," in errore mihi videdur versari. Fugit enim eum multa vocabula poetica iis locis exstare, ubi orationis ardor et incitatio et poeticus quasi color talia non solum excusat, verum etiam postulat. Nam quoniam Xenophon, ut supra demonstravi, studium suum et affectum omnibus in rebus exprimebat, facile fieri poterat, ut orationis contentione abriperetur in sublimius dicendi genus, quale Athenis quondam a rhapsodis histrionibusque audiverat. Habet enim revera Xenophontis animus aliquid, quod poetae ingenio dignum est, ut infra fusius demonstrabitur, et haud ita raro consueta orationis simplicitate ieiunitateque relicta altius assurgit haud sine afflatu poetico. Et de hac potissimum Xenophontis propria indole Dionys. Halic. cogitare videtur, cum ita eius genus dicendi describit ad Cn. Pomp. c. IV: ὕψος καὶ μεγαλοπρέπειαν οὐκ ἴσχυσε λαβεῖν, ἀλλὰ κἄν ποτε διεγεῖραι βουληθείη τὴν φράσιν ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα, ταχέως σβέννυται. Ex multis huius rei exemplis pauca eligo: de re equ. X, 4 equitandi magister peritissimus exardescit fervore, cum imaginem animosi equi ferocientis repraesentat animo; hinc insolentia vocabula γοργούμενος, μετεωρίζει. [1]) Similia observari possunt Cyrop. I, 6,45 — 46; Anab. VII, 1,29. Sed haec hactenus. Quamquam hoc loco quaestionem inchoatam relinquere debemus, tamen facere non potui, quin ea certe,

[1]) Identidem eadem imago equi superbi Xenophontis φιλίππου animum inflammat, ut praeter poeticum orationis colorem etiam ingentem vocabulorum aggerationem admittat de re equ. XI, 9 et 16; sectione autem nona hac observatione ea opprobria, quae Schneiderus et Cobetus N. L. p. 793 huic loco obiecerunt, redarguuntur. cf. Longinum de sublimitate p. 39,26 sqq. (ed. Iahn).

quae ad Xenophontis ingenium perspiciendum spectant, hic in medium proferrem.

Sed priusquam propositum ipsum aggrediar, paucis exponendum videtur, cur eandem rationem, qua usi sunt viri docti, cum ea, quae a Socrate apud Platonem de poetis dicuntur, ipsi Platoni tribuerent, in Xenophonte quoque adhibeam et ea quae de poesi Socrates disserens introducitur in Commentariis Convivio ceterisque libris tamquam a Xenophonte ipso profecta tractem. Primum enim Xenophon Socratis magistri praecepta tanta industria sequebatur (Diog. L. II, 56 Σωκράτην ζηλώσας ἀκριβῶς). ut ubicunque referuntur Socratis sententiae simul Xenophontis placita audiamus. Deinde identidem viri docti iure admonuerunt, cum sex saltem annis post Socratis decessum Commentarios composuisset, vix omnes sermones eum memoria tenere potuisse. (Zeller, die Philosophie der Griechen II a[3] p. 37) Atque, siquidem in aliis dialogis velut Hierone et Oeconomico liberius finxit nec Socratis sermones tantummodo retulit, non video quid similiter de Commentariorum indole iudicare prohibeat et suffragari Schenkelio studd. Xenophont. II. Scripta Acad. Vind. LXXX p. 148: „Ich glaube aber, dass man diese Schrift ganz bezeichnend Dichtung und Wahrheit nennen kann. Allerdings hatte Xenophon für Alles, was er mittheilte, Anhaltspunkte im treuen Gedächtnisse . . .“ „die Ausführung gehört daher in den meisten Dialogen dem Xenophon selbst an und er hat sich auch gar nicht gescheut, seine eigenen Anschauungen dem Sokrates in den Mund zu legen.“

Sed in universum Xenophon idem sentiebat de vi ac dignitate poesis atque Socrates eiusque discipuli; quae quaestio priusquam singula persequimur paucis tractanda videtur esse. Cum enim Socrates omnibus de natura rerum quaestionibus posthabitis[1]) philosophiam in virtute et vita beata anquirenda versari vellet, mirum non est Xenophontem ut illius sectatorem diligentissimum poetarum lectionem eo consilio instituendam

[1]) Comment. I, 1,11; Zeller l. l. p. 112 sqq.

censuisse, ut ad vitam beatam et honestam conduceret.[1]) Quomodo enim aliis artificibus id potissimum in officio esse putabat, ut τὰ καλά τε κἀγαθὰ καὶ ἀγαπητα ἤθη[2]) exprimerent operibus, ita iis poetarum locis plurimum tribuebat, qui ad virtutem spectabant.[3]) Nec tamen hoc iudicio eo perductus est, ut omnes poetas, qui humanitati excolendae non inservirent, repudiaret. Etenim in praeceptis a Socrate traditis acquiescens non eadem severitate ac Plato quaecunque ratione cognita comprehensaque habebat persequebatur aut omni modo perfici volebat. Plato[4]) enim, cum totam virtutem in ratione positam esse arbitraretur, permultos autem poetas non rationem excolere sed deterioribus animi partibus morigerantes rationis imperium tollere et propter mimesin veritati officere intellexisset, omnem poesim epicam et tragicam ex republica sua exterminare non dubitavit. Xenophon autem in poetis iudicandis non tam obstinate doctrinae placita sequebatur, ut ab universae Graeciae more decedens poetarum auctoritatem inveteratam labefactare auderet, sed in hac re multum apud eum valebat verae pulchritudinis sensus et delectatio. Quare apud eum ferme nusquam occurrunt poetarum vituperationes aut cavillationes, cum Plato quamvis plerumque callidus poetarum existimator, ubi poetarum carmina imaginibus mente sua conceptis et philosophiae placitis metitur, severus exsistat poesis vituperator ac ne Homero quidem debitam verecundiam renuntiare vereatur.[5])

His in universum disputatis iam quaerendum est, quid de singulis Graecorum poetis Xenophon senserit. Hanc autem

---

[1]) Comment. I, 6,14 καὶ τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες, ἀνελίττων συν τοῖς φίλοις διέρχομαι, κἄν τι ὁρῶμεν ἀγαθόν, ἐκλεγόμεθα. Merito οἱ πάλαι σοφοί potius poetae quam philosophi veteres intelleguntur a C. Fr. Hermanno, de Socr. magistris et disciplina iuvenili p. 45. Becker Charicles II p. 117. Zeller l. l. p. 113,4. — Conv. III, 5 ὁ πατηρ ἐπιμελούμενος, ὅπως ἀνηρ ἀγαθος γενοίμην, ἠνάγκασέ με πάντα τα Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν. Haase l. l. p. 13.

[2]) Comment. III, 10,5.

[3]) cf. Comment. III, 8,4. Zeller l. l. p. 67.

[4]) Heine l. l. p. 3 sqq.

[5]) de rep. X 395 B.

quaestionem ita instituere in animo est, ut sicuti ex ipsa rei natura sequitur aetatis cuiusque poetae rationem habentes primum quantam et qualem Homeri cognitionem ostendat Xenophon, deinde Hesiodi aliorumque epicorum poetarum commemorationes contemplemur, post quae ad tragoediam, tum quae ad comoediam pertinent tractemus, extremo autem loco quaecunque ad lyricam poesim spectant consideremus.

Prima igitur parte hinc capiamus exordium, ut quanti aestimarit Homerum et quibus in rebus eum auctorem secutus sit illustremus. Exstat apud Xenophontem memorabilis locus, ubi quem in unaquaque arte liberali principatum obtinere atque quasi palmam accipere maxime deceat declaratur: Comment. I, 4,3 ἐπὶ μὲν τοίνυν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον ἔγωγε μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην, ἐπὶ δὲ τραγῳδίᾳ Σοφοκλέα, ἐπὶ δὲ ἀνδριαντοποιίᾳ Πολύκλειτον, ἐπὶ ζωγραφίᾳ Ζεῦξιν. Praestantissimum igitur et antiquitate et auctoritate ei Homerum visum esse ex ipso nominum ordine apparet sicut ceteri Graeci hunc Graeciae praeceptorem summis laudibus cumulare solebant. [1]) Memorandum autem videtur, Xenophontem epicorum principem non tam propter venustatem aut divinam loquendi facultatem admiratum esse quam propter sapientiam (ἐπὶ σοφίᾳ). Haec autem sapientia qua re praecipue contineri videatur ex alio loco colligitur: Conv. IV, 6 ἴστε γὰρ δήπου ὅτι Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων. Quamquam enim Xenophon hac praeclarissima laude Homerum non ipse ornat, sed Niceratum Homeri ἐπαινέτην talia praedicantem inducit, tamen non est cur idem Xenophontem de Homero sensisse negemus. Nam praecepta sua et sententias nullius auctoritate certius ac firmius comprobare sibi videtur quam Homeri. A Socrate quidem hoc praeceptum acceperat, [2]) ut quicunque nemini usui esset nec patriae prodesse nec ullo munere cum aliquo fructu fungi posset poena dignus esset, praesertim

---

[1]) Friedel, de philosophorum graecorum studiis Homericis p. 2 sq.

[2]) Comment. I, 2,58 — 59.

cum crebro tali vanitati impudentia ac procacitas coniuncta esset. Atque haec severa doctrina Xenophonti Ulixis [1]) exemplo satis comprobata videbatur, ut, cum accusator crebram illius loci laudationem ad reprehendum arripuisset, Xenophon fortiter Socratis Homerique patrocinium susciperet.

Iam vero arbitratur unumquemque, sive rerum militarium studiosus sit sive rempublicam capessere velit, ex hoc fonte aeterno praeclaram scientiam haurire posse. [2]) Nam Homerus exempla praeclarissimorum virorum sicuti Achilli Aiacis Nestoris

---

[1]) B 188 — 191 et 198 — 202. In his versibus a Xenophonte adscriptis duae res memoratu dignae videntur. Primum enim a Xenophonte sex versus (192 — 197) praetermittuntur, quos quidem (excepto 192) iam Aristarchus exterminavit atque viri docti recentioris aetatis nihilo minus eiciendos putaverunt. L. Dindorfii ad h. l. sententia, qui Xenophontem hos versus ut nihil ad rem pertinentes praetermisisse censet, probabilis est. Sed mirum est, quod praeterea omittuntur versus 202. seqq., qui item alteram Ulixis orationem amplificant, quamquam, cum aperte ex posteriore aetate, ubi regum defensores ius populi circumcidere studebant, traxerint originem, aptissimi fuerunt, qui ab accusatore ut Socratem in invidiam vocarent exprobrarentur. Nec Forchhammerus, Die Athener und Socrates, die Gesetzl. u. d. Revolutionair p. 52 sqq. non laudandus est, quod de hac re monuit, quamquam quod praeterea de hoc loco suspicatus est recte redarguitur a Zellero l. l. p. 177,3. Uberius de genuina huius loci forma disputavit G. Curtius Philol. III p. 11. — Ceterum forma horum versuum, sicuti apud Xenophontem traduntur, nulla re ab Homeri textu discrepat (La Roche, Homer. Textkrit. p. 37), praeterquam quod v. 198 ὅντινα δ' αὖ δήμου τε ἄνδρα κτλ. ex Homero in ὃν δ' αὖ κτλ. mutandus est. Sed illud τε, quod F. A. Wolf, Fr. Spitzner, G. Dindorf Veneto aliisque libris refragantibus receperunt atque Bekker (Hom. bl. p. 164 sq.) defendit, hoc modo testimonio satis antiquo firmatur eo magis, quod apud Xenophontem haec lectio sola sententiae accommodata est. Quamquam igitur in Veneti scriptura ὃν δ' αὖ δήμου ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι hiatus offensioni non est (Hartel, Homer. stud. p. 108) et sententia melior ac rectior efficitur, tamen accusatoris crimen (αὐτὸν ἐξηγεῖσθαι, ὡς ὁ ποιητης ἐπαινοίη παίεσθαι τοὺς δημότας καὶ πένητας) multo luculentius fit, si particula τε inserta Ulixes primum omnes de plebe homines deinde etiam vociferantes verberibus mulcavisse dicitur cf. Ameis Anh. z. Hom. Il. I p. 111.

[2]) Conv. IV, 6.

Ulixis imitanda nobis proposuit, quorum aemulatio alit virtutem. Ac quamquam Niceratus (Conv. IV, 6) illud quod Antisthenes interrogaverat, num quis ab Homero Agamemnonem ita describente: ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής[1]) regnandi artem discere possit, neglegit, tamen aliunde depromi potest responsio. Nimirum Comment. III, 2 explicatur, Homerum cum duobus illis cognominibus Agamemnonem exornet postulare, ut imperator perfectus sua fortitudine milites ad virtutem compellat nec tam suae felicitati quam totius civitatis saluti inserviat, quae quidem officia item ex alio nobili Agamemnonis cognomento ποιμὴν λαῶν[2]) derivantur. Et profecto in hac imperatoris descriptione Homerica videtur posita fuisse regiae virutis forma, quam animo comprehensam habebat et eo libro, qui Cyropaedia inscribitur, dilatavit et explanavit.[3]) Simili modo Homerum oratoris quoque omnibus numeris absoluti imaginem proponere arbitratur.[4]) Etenim Socratis exemplo eam eloquentiam maxime ad hominum animos flectendos aptam esse noverat, quae a rebus inter omnes notis ac divulgatis proficiscens argumentatur. Ulixem autem hoc genere dicendi (ἀσφαλείᾳ) mirifice excellentem ab Homero[5]) descriptum esse affirmat.

Sed non solum ad nobilissimas virtutes assequendas Homerus viam monstrat, verum etiam de multis reconditioribus artibus praecepta tradit. Quod quidem Niceratus (Conv. IV, 6) duobus exemplis Homericis[6]) comprobat, quorum alterum ne voluptariarum quidem artium Homerum expertem fuisse declarat, alterum identidem a veteribus laudatum ad aurigae officium spectans eximiam rei equestris scientiam ostendit. Atque ex alio quoque loco (Cyrop. VI, 1,26) apparet, Xenophontem ea quae de equis et curribus apud Homerum leguntur animadvertisse.[7])

---

[1]) Γ 179.

[2]) Comment. III, 2,1; I, 2,32; Cyrop. VIII, 2,14; I, 1,2.

[3]) Zeller p. 202.

[4]) Comment. IV, 5,15.

[5]) ubi praecipue Σ 171 respicere videtur.

[6]) Ψ 335 — 37, Λ 630.

[7]) Lehndorf Hippodromus cap. VIII.

Quoniam hucusque expositum est, quomodo Xenophon ex Homeri carminibus praecepta ad mores excolendos atque universam rerum humanarum scientiam adipiscendam petierit, sequitur ut adumbremus, quid studium Homeri ad eius disputandi et loquendi rationem valuerit. Ac primum quidem festivam ac facetam Homeri interpretationem in sermonibus crebro adhibitam contemplemur. Latissime enim patet apud eum elegans illud et urbanum iocandi genus, quod mentione alicuius fabulae Homericae illata argumentum firmissimum suppeditat et tamquam sale perspergit orationem. Propria autem huius iocosae interpretationis ratio ea re continetur, quod novae et inauditae carminum explicationes confidenter proferuntur, audientium autem animi rei novitate et iucunditate occupati similitudinem quandam et probabilitatem agnoscere coguntur. Et hercle nugatoriae illae quidem sed elegantes festivitates maxime resipiunt Socratis ingenium, neque dubitari potest, quin huius rationis potissimum Xenophonti auctor et princeps exstiterit Socrates. Qui cum quondam in sermone de amicis conciliandis cum Critobulo instituto [1]) ut incantamentis adlectarentur et tamquam laqueis irretirentur commendavisset, interrogatus quasnam fascinationes sciret lepida ironia usus ad Sirenum praeclarum exemplum ablegavit interrogantem. [2]) Idem exemplum ad aliud de amicorum consuetudine praeceptum comprobandum affertur. Ex longinquo Sirenes homines pellicere solebant, Scylla autem quia manus inferebat hominibus abigebat omnes: ergo amici non palpatione aut tactu sed persuadendo conciliari possunt. [3]) Saepius autem breves commemo-

---

[1]) Comment. II, 6,11.

[2]) μ. 148. Valckenarius l. l. verba ὧν ἐστιν ἀρχὴ τοιάδε τις et Homeri versum literatorem quendam non Xenophontem adscripsisse suspicatus est, sed hoc loco nemo (ut alibi, de qua re infra videbimus) vestigiis eius ingressus est.

[3]) Comment. II, 6,31 πέπεισμαι δὲ καὶ ἀπὸ τῆς Σκύλλης διὰ τοῦτο φεύγειν τοὺς ἀνθρώπους ὅτι τὰς χεῖρας αὐτοῖς προσέφερε κτλ. Emendationem Ernestianam πέπυσμαι non possum quin improbem, quamquam a Schneidero commendata atque nuper a Schenkelio in textum recepta est. At ex quonam Socrates hunc iocum audivisse putandus est? Ipse hanc interpretationem παίζων καὶ ἅμα

rationes rerum Homericarum et inferuntur in disputationem et tamquam condimentum sermoni immiscentur, sicuti fert sermocinantium libido, ut talia minime serio dicta habenda sint, cum praesertim audientium fere hilaritate quam in partem accipienda sint declaretur (ἔνθα δὴ ἀνεγέλασαν ἅπαντες). Sic de venusta excusatione iudicandum videtur qua Niceratus (Conv. IV, 45) utitur, cum Homerum iis, qui avaritiae indulgeant, obsecundare censet.[1]) Eodem modo in transcursu Agamemnonis personae mentio fit[2]) et Paridis iudicii[3]) atque Patroclum amicum non amasium Achilli fuisse affirmatur.[4]) In eadem denique argumentatione etiam lusus etymologicus, ut ita dicam, Homericis versibus adhibitis instituitur; nomen enim Ganymedis e duobus apud Homerum usitatis vocabulis enodatur. Levitas autem talium facetiarum, quae non tanto hiatu proferuntur quanto posteri philosophi e. g. Stoici[5]) in eius modi nugis versari solebant, propter id ipsum neminem effugere potest, quod hemistichia allata apud Homerum nusquam leguntur, sed ad praesentem usum celeriter tamquam frustula ex memoria collecta sunt.[6])

Sed non solum sermones iu circulis habiti lepore, qui inest in tali rerum Homoricarum recordatione, ornati sunt, sed etiam in genere dicendi sublimi et gravi Homeri mentionem inferre non dubitavit. Identidem igitur talia in orationibus occurrunt. Perspectum enim habebat Xenophon, quam accommodatum esset ad persuadendum, quanta iucunditate afficerentur animi audientium, si orator praesentem rerum statum tangendo aliquod Homericum praeclarum exemplum illustraret. Optime haec res perspici potest ex nonnullis orationibus, quas Xeno-

σπουδάζων excogitavit, ut I, 3,7 et veram et novam Homeri sententiam eruisse sibi videtur (οἴεσθαι δὲ ἔφη ἐπισκώπτων.). Et vero multo aptius toti huic rationi est, si magna cum fiducia (πέπεισμαι) hanc necopinatam interpretationem profert.

1) I 122—23 et 264—65.
2) Conv. III, 1,4. Γ 169.
3) Conv. IV, 20.
4) Conv. VIII, 31. Σ 98.
5) cf. Cic. de nat. deor. II, 25,64. III, 24,62.
6) La Roche l. l. p. 38.

phon a se ipso habitas refert. Cum enim Cyri exercitus in Asia interiore undique dolo atque insidiis circumventus domicilia collocare institueret, Xenophontis eloquentiae hoc arduum negotium obtigit, ut milites saluti suae desperantes et exhaustos de hoc pestifero consilio depelleret: summum autem fastigium eius orationis, cui non defuit eventus, his verbis continetur: μὴ ὥσπερ οἱ λωτοφάγοι ἐπιλαθώμεθα τῆς οἴκαδε ὁδοῦ.[1] Eodem modo verisimile est aliis quoque locis,[2] ubi Xenophon, quippe qui plerumque sola orationis vi exercitum gubernare potuit, orationibus suis Homerum respiciens maiorem dignitatem tribuere studuit, mentes militum commotas esse, qui quidem quamvis ex omnibus Graeciae regionibus coacti Homeri libenter meminerant. Quae cum ita sint, has Homeri commemorationes revera adhibitas non postea in scribendo ornamenti causa adiectas esse censeo. Nam quid ad exercitus voluntatem affectionemque illud valuerit, alibi ubi aliquis exercitui defesso sed iam spe propinqui reditus denuo accenso Ulixem redeuntem ante oculos proposuit, Xenophon ipse enarravit: ταῦτα ἀκούσαντες οἱ στρατιῶται ἐπεθορύβησαν ὡς εὖ λέγοι.[3]

Saepenumero autem non alicuius fabulae mentione illata sed Homeri loquendi morem sequens recordationem poetae iniecit mentibus. Qua in re haud raro accidit, ut eiusmodi enuntiata festivitatis quandam speciem prae se ferant.[4] Sed quia plura huiusmodi exempla congesta leguntur apud Heilandum l. l. p. 14 sqq., accuratius exempla perscrutari supersedeo, praesertim cum complures loci obnoxii sint dubitationi, num merito in numerum imitationum referantur.

Magis autem lubrica nec tamen omittenda proxima pars. Praeter hanc enim elocutionis similitudinem etiam alia cognatio observata et a multis praedicata est, quae ad Xenophontis

[1]) Anab. III, 2,25; ι. 81 sqq.

[2]) Anab. V, 7,6; κ 190 sqq; Sengebusch l. l. p. 139. — Anab. VII, 1,30; Δ 182; Π 146; Ζ 464. Heiland, quaest. de dial. Xen. p. 14.

[3]) Anab. V, 1,2—3; ν. 118.

[4]) Conv. I, 16 τῇ ψυχῇ παρακελευσάμενος θαρρεῖν cf. Bornem. ann. ad h. l. — Hist. Gr. III, 36; Anab. III 8,14 ὠμῶν ἐσθίειν Δ 35. — Cyrop. II, 3,7 οὐκ ἀγεννεῖ ἀνδρὶ ἐοικώς Γ 170 et quae sunt alibi generis eiusdem.

cogitandi rationem pertinet. Nam saepenumero usu venit, ut in rebus gestis atque hominum moribus depingendis plane Homeri cogitandi rationem prodat. Etenim quod sentit ita eloquitur, quemadmodum Homerum dicentem audimus vel potius, ut clarius ipsam rei causam significem, ita enarrat res, ut Homerum ad rerum descriptionem multum valuisse appareat. Plerumque scilicet tales similitudines fortuito nec dedita opera ortae sunt, cum ingenium eius a puero Homeri lectione mirifice excultum et conformatum esset et ex hoc tamquam fonte summum cepisset incrementum. Ac primum quidem animum eius ad poeticam narrationem valde inclinasse testimonio est, quod Prodici de Hercule in bivio narratiuncula valde delectabatur.[1]) Ad epicae autem poeseos naturam propius accedunt similitudines et comparationes, quibus orationem crebro illustrat. Atque ut has partim Homero haud indignas esse partim etiam certos locos Homericos in memoriam reducere intellegatur pauca exempla indicasse sufficit: Hist. Gr. IV, 7, 6. ibid. VII, 5,10 cf. B. 308 sqq.[2]) Hist. Gr. III, 2,4 cf. Θ 131.[3]) Cyrop. I, 6,46. Optime autem haec ingenii natura ex Cyropaedia perspici potest. Inter Cyri enim descriptionem (Cyrop. VII, 1,10 sqq.) adeuntis cohortes milites adhortantis erigentis et Agamemnonem, quemadmodum apud Homerum[4]) imperatoris munere fungitur, similitudinem quandam intercedere facile apparet. Porro ei rationi, qua Homerus populi vel assensum vel admirationem similesque affectus consueto illo versu ὣδε δέ τις εἶπεσκε ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον introducit, non dissimilis est descriptio militum Cyrop. VIII, 4,31. Pantheae personam ad similitudinem Andromachae, non Penelopae, ut Krohnio l. l. p. 82 visum est, finxit. Si enim venustam illam de Panthea et Abradata enarrationem (Cyrop. VI, 4,2—11) et Andromachae Hectorisque sermones (Z 390 sqq.) comparo, tam manifesta mihi videtur cognatio, ut propemodum imitationem statuere audeam. Ac profecto tam propense Xenophon Pantheae pul-

[1]) Comment. II, 1,21.

[2]) cf. Aesch. Sept. v. 503.

[3]) Heiland l. l. p. 16.

[4]) Δ 233 sqq. Heil. l. l., qui quidem dubito an nimis confidenter loquitur: aperte X. imitatus est Homerum.

chritudinem praestantiamque descripsit, ut ab aliis quoque similiter de locis quibusdam iudicatum sit.[1]) Ad summam, ne plura eiusmodi[2]) congeram, si haec omnia contemplor, neminem infitias ire posse existimo, Xenophontem in Cyropaedia poeticam quandam facultatem prodere et ita exornare orationem, ut epicorum poetarum imprimisque Homeri vestigia premat. Diversitas autem ingeniorum ex hac re dilucide perspici potest, quod cum Plato in eo libro, quo perfectam et omnibus numeris absolutam civitatis formam proposuit, poetarum gentem severe exagitet, Xenophon contra nusquam magis ingenio poetico indulsit quam in Cyropaedia, ubi eodem fere consilio compulsus imperatoriam et politicam artem pertractat.

Sed ut Xenophon res a se fictas Homeri exemplum imitatus exornat, sic etiam res gestas in libris historicis haud raro epico stilo describit nec historiae fides eum prohibuit, quin colorem poeticum adhiberet, cuius quamvis nativi et a natura ingenio insiti Homerus educator et altor fuisse putandus est. Scite hoc animadvertit Grotius (Hist. Gr. interpret. vern. V, p. 63), qui de Anab. III, 1,4 sqq, ubi Xenophon in suae laudis pronuntiatione sublimius loquitur, haec scribit: „Auf eine wahrhaft homerische Weise und in einer der homerischen ähnlichen Sprache beschreibt Xenophon seinen Traum oder das Dazwischentreten des Oneiros, den Zeus sandte, und von dem dieser neuernde Impuls seinen Ursprung nahm," quam rem ut demonstret, comparat illum locum cum E 9 et totam somnii descriptionem cum secundae Iliadis rhapsodiae initio. Subinde idem vir doctus huiusmodi rerum callidissimus existimator laudat similitudinem, quae inter Anab. III, 1,12 — 13 et Homeri rationem narrandi veluti Δ 403 intercedit.

Quid igitur eloquentia Xenophontea Homero debuerit expositum est. Sequitur ut anquiramus, num Homeri carmina in severius examen vocarit. Primo obtutu sane nihil exstare videtur, ex quo quid de Homeri indole iudicarit colligatur, neque vero plane desunt quae quasi ansam eius iudicii extricandi praebent, atque talia nunc eo diligentius nos expendere oportebit.

[1]) E. v. Leutsch, Homer und Xenophon, Philol. XI p. 714.
[2]) Heiland l. l. p. 13. Breitenbach ad Cyrop. III, 1,41.

Quamquam Xenophon historiae Graecorum illustrandae et conscribendae operam dedit, tamen utrum antiquissimis fabulis ac praecipue Homericae de bello Troiano et Ulixis erroribus narrationi fidem habuerit an pro fabula acceperit nusquam aperte indicavit neque sicuti Thucydides historiae suae de pristinis temporibus praefationem praemisit, sed per se probabile videtur, Xenophontis de his rebus sententiam Herodoti similiorem fuisse quam Thucydidis.[1]) Ac revera duobus locis Graecorum contra Troianos expeditionis ita fit mentio,[2]) ut comparatio belli Troiani cum simultatibus, quae posteriore aetate Graecis cum barbaris intercedebant, manifesta sit. Qua ex re Xenophontem ad eandem sententiam, qua Isocrates[3]) utebatur, accessisse concludere licet. Quamquam semel Cyrop. IV, 3,17, ubi Hippocentaurorum similitudinem allegat, addito εἰ ἐγένοντο dubitationem significavit.

Porro exstat meo quidem iudicio testimonium, quo Xenophontem praeter Iliadem et Odysseam nullum carmen ex eorum numero, quae Homeri nomine circumferebantur, ei tribuisse apparet. Facit enim Niceratum sic praedicantem Conv. III, 5: ὁ πατὴρ ἐπιμελούμενος ὅπως ἀνὴρ ἀγαθὸς γενοίμην ἠνάγκασέ με πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν· καὶ νῦν δυναίμην ἂν Ἰλιάδα ὅλην καὶ Ὀδύσσειαν ἀπὸ στόματος εἰπεῖν. Omnia igitur Homeri carmina se didicisse gloriatur, atque quaenam carmina intellegat, illico declarat, cum Iliadem et Odysseam enumerat: ergo hoc loco Homerum nisi Iliadis et Odysseae nullius carminis auctorem esse affirmatur. Ceterum Plato quoque praeter Iliadem et Odysseam Homero cetera omnia carmina abiudicavit, quae quidem res ab Heinio l. l. p. 15 — 22 accurata argumentatione pro certo demonstrata est. Sed quibus causis commotus reliqua carmina aliena esse ab Homero iudicaverint, nec Plato nec Xenophon exposuit.

---

[1]) Dionys. Halic. ep. ad. Cn. Pomp. IV, 1.

[2]) Hist. Gr. III, 4,3 et VII, 1,34. — Cyneget. I, 17 addere nolui, quod Brenneckio, de authentia et integritate Cyneget. Xen., qui praefationem Xenophonti abiudicat, adstipulor.

[3]) Panegyr. 159.

Denique allegoricae explicationis exemplum unum, quod apud eum occurrit [1]), non negligendum putavi. In quo concedendum est, hanc interpretandi rationem multo magis redolere Socratis sollertiam quam Xenophontis, quippe qui in sole ac pulvere vitam degens pro simplici animi natura ab his nugatoriis atque umbratibilibus acuminis exercitationibus longe aberat. A Socrate enim, qui „sapiens imprimis sobrius illam non nisi ludendo attigerat," [2]) contemptionem quandam somniorum allegoricorum imbiberant sodales, atque etiam apud Xenophontem Conv. III, 6 leni Stesimbroti aliorumque Homeridarum utpote Homerum venditantium cavillatione aspernatio quaedam observari potest, quae affert nobis memoriam Platonis contemptim de illorum studiis loquentis [3]) Itaque in Comment. l. l., ubi Circae incantatio allegorice explicatur, neminem effugere potest irrisio, quia ars illa recondita et plena eruditionis ad turpissimas cupiditates compescendas adhibetur.

Restat ut paucis exponam, quid Xenophon de iis qui tum maxime Homericae poesis notitia excellebant i. e. de rhapsodis iudicaverit. Cum rhapsodi [4]) id potissimum studium profiterentur, ut in magnis hominum coetibus non solum Atheniensium verum etiam totius Graeciae diebus festis Homeri carmina cum arte recitarent, accuratiorem autem cognitionem neglegerent [5]), mirum non est, quod Xenophon despiciebat rhapsodorum artem. Contemptui enim ei cantilenarum eorum vanitatem esse necesse erat, cum omnem carminum lectionem et auditionem ad utilitatem referendam esse censeret. Sed quoniam rhapsodos verbis tantummodo non verae poetae sententiae operam dare intellexerat [6]), recitationem eorum ad virtutem nihil valere persuasum habebat [7]).

---

[1]) Comment. I, 3, 7.

[2]) Wolf Proleg. p. CLXIII. (τοιαῦτα μὲν περὶ τούτων ἔπαιζεν ἅμα σπουδάζων.)

[3]) Wolf Proleg. p. CLXIII. Heine l. l. p. 19.

[4]) Wolf p. XCVI sqq. Nitzsch. Plat. Ion. p. 4 sqq.

[5]) Wolf p. CLXII.

[6]) Comment. IV, 2,10 τοὺς γάρ τοι ῥαψῳδοὺς οἶδα τα μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. Conviv. III, 6 δῆλον γαρ . . . ὅτι τας ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται.

[7]) Cyrop. III, 3,54. ἀποῤῥαψῳδήσας.

Satis dilucide igitur demonstrasse mihi videor, Xenophontem Homero poetarum principi summam auctoritatem tribuisse, quamquam eum potius amplectebatur amore et colebat quam diligenti studio perscrutabatur. Itaque, ut breviter repetam, quae hac disputatione effecta sunt, Homerus laudatur a Xenophonte,

1. quia carmina condidit, quae conducunt ad morum disciplinam;
2. quia exempla praeclarissima nobis proposuit ad imitandum;
3. quia etiam de rebus exiguis praecepta tradidit.

In dicendi genere hanc vim habuit Homeri cognitio,

1. ut sermonibus lepidum condimentum insereret, cum animi causa rerum Homericarum mentionem faceret;
2. ut in orationibus arriperet maiorem dignitatem Homeri fabularum recordatione;
3. ut Homericum usum loquendi aut serio aut per iocum imitaretur.

Simili modo Homeri studium deprehenditur in narratione rerum gestarum, quoniam Xenophon in rebus describendis et exornandis interdum in epicorum morem incidit.

Denique ad iudicium eius de carminibus Homeri pertinent haec,

1. quod fabulis, sicuti videtur, fidem habuit;
2. quod praeter Iliadem et Odysseam nullum carmen ab Homero conditum esse censet;
3. quod non minus allegoricam interpretationem quam rhapsodorum artem contemnit. —

Sed etiamsi Homerus in summo, ut vidimus, apud Xenophontem erat honore, tamen per se probabile est, etiam Hesiodum apud eum in auctoritate haud mediocri fuisse. Etenim quoniam uniuscuiusque poetae virtutem in moribus emendandis positam esse censebat, fieri non potuit quin ex Hesiodi carminibus incredibilem caperet delectationem. Itaque suae de utilitate poetarum sententiae non tantum quidem tribuit, ut Homerum posthaberet Hesiodo, verum tamen certa vestigia in

scriptis eius occurrunt, ex quibus Hesiodi et cognitio et cultus diligentissimus apparet. Ac primum eos locos contemplemur, ubi ut praeceptum aliquod commendet ad Hesiodi sapientiam adscriptis versibus poetae provocat. Ubi Socrates ut virtutis impetrandae causa homines labores subeant et vita delicata abstineant commendat, citat versus celeberrimos: τὴν μὲν γαρ κακότητα κτλ.[1]) Iam de ira deorum placanda disserens (Comment. I, 3,6) ad Hesiodi auctoritatem confugit et ut pro suis quisque viribus sacrificia faciat praescribit[2]). Quemadmodum autem hoc praeceptum latius patere atque etiam in amicos cadere volebat ita (Comment. I, 2,56 — 57) aliud Hesiodi de re rustica dictum: ἔργον δ'οὐδὲν ὄνειδος ἀεργίη δέ τ'ὄνειδος[3]) ad rationem vivendi omniaque negotia recte exsequenda transferre solebat. Omnes hi versus ex Operibus et diebus deprompti sunt. Num alia quoque carmina Hesiodea cognoverit dubium est, quandoquidem nullum eius rei vestigium exstat. Eo magis in deliciis habuit Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας, quippe cum hoc totum carmen ad rem rusticam atque vitam bene instituendam pertineat, Xenophon autem harum rerum non modo semper studiosus fuerit, verum etiam de iisdem rebus praecepta litteris mandarit. In Oeconomico igitur, cuius argumentum magna ex parte in iisdem rebus tractandis atque Hesiodi illud carmen versatur, saepius non addito nomine rationem eius habuit. Itaque puto eum lepidam fucorum comparationem Hesiodo debere, cum praesertim verba ipsa quasi cognationem quandam prodant (Oec. XVII, 14 . . . ὥσπερ οἱ κηφῆνες διαρπάζουσιν ἄχρηστοι ὄντες τῶν μελιττῶν ἃ ἂν ἐκεῖναι ἐργασάμεναι τροφην καταϑῶνται. Hes. op. v. 304 sqq. . . . κηφήνεσσι κοϑούροις εἴκελος ὁρμήν, οἵτε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ ἔσϑοντες.) atque etiam Plato eundem Hesiodi locum afferat Legg. X 901 Ατρυφῶν καὶ ἀμελης ἀργός τε, ὃν ὁ ποιητης κηφῆσι κοϑούροισι μάλιστα εἴκελον ἔφασκεν εἶναι . . . Deinde celeberrimum Hesiodi dictum op. v. 40 ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός Xenophontem in suum usum convertisse editores annotaverunt[4]) et cum Plato

[1]) Comment. II, 1,20. Hes. op. 287 — 92.

[2]) Hes. op. 336.

[3]) ibid. v. 371.

[4]) Oec. XX, 17; Hiero VIII, 4.

identidem huius sententiae mentionem faciat [1]), inter Socraticos est, plerumque eam divulgatam fuisse concludere licet. In quo sane concedendum est plerumque factum esse, ut cum de iisdem rebus praescriberent similes ponerent sententias Quocirca cavendum est, ne quidquid simile inveniatur ab Hesiodo petitum esse putemus, veluti Xenophontis dictum Oec. VIII. 3 ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως, ὦ γύναι, οὔτ' εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς τάξις et Hes. op. v. 471 εὐθημοσύνη γὰρ ἀρίστη θνητοῖς ἀνθρώποις, κακοθημοσύνη δὲ κακίστη quamvis similia sint, tamen Xenophon haec ab Hesiodo petivisse putandus non est. Atque in hoc genere nonnulla similia quae apud utrumque leguntur praecepta habenda sunt, ut utriusque de uxore instituenda praeceptum [2]) et de opere sedulo aggrediendo [3]) et alia generis eiusdem.

Praeter Homerum Hesiodumque, principes epicae poesis nullum huius generis poetam respexit, praeterquam quod Palamedis commemorationem ad eas res, quae a Cyclicis poetis tractatae sunt, spectare licet suspicari [4]). Ceterum quae praeterea de fabulis commemoravit [5]) non tam ex poetarum cognitione quam ex fama populari manasse videntur.

Proxima commentationis pars, qua quid Xenophon de altero poesis genere i. e de tragoedia senserit exponendum est, brevissime potest absolvi. Nam neque in universum de tragoedia disputat neque unam aliquam tragoediam respicit. Quae quidem res mira non est, quoniam tragica poesis propria Atheniensium erat [6]), Xenophon autem admodum iuvenis patriam reliquit. — Nihilo setius nonnulla vestigia inveniuntur, quibus eum etiam hoc poesis genere adolescentem delectatum esse

[1]) Heine l. l. p. 26.

[2]) Oec. VII, 4; Hes. op. 699.

[3]) Oec. XX, 17 sqq; Hes. op. 571 sqq.

[4]) Comment. IV, 2,33 τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπο τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται. cf. Plat. Apol. p. 41 B Brennecke l. l. p. 35.

[5]) Oec. VII, 40 ubi Danaidum mentio fit; ibid. XXI, 12. ubi Tantalus commemoratur.

[6]) Vectig. V, 4.

probatur. Loco enim quem supra memoravi [1]). ubi nobilissimos artifices, qui summa digni sint admiratione, persequitur, sine ulla dubitatione Sophoclem tragicorum poetarum principem appellat. Eo magis autem hoc iudicium memoratu dignum videtur, quia si Xenophon ea quae Socrates de poesis virtute praeceperat secutus esset facile fieri potuit, ut non Sophocli sed Euripidi primum locum tribueret. Nam quamvis incerta sint, quae de necessitudine vel amicitia Socratis et Euripidis narrantur [2]), tamen dubitari nequit, quin alter alteri notus et comprobatus fuerit. Socrates enim non Sophoclis sed Euripidis tragoediis, quippe quae diligentiorem humanarum rerum intelligentiam et doctrinam reconditiorem resiperent, maxime delectabatur, ut facile Xenophon etiam in hac re Σωκράτην ζηλώσας Euripidem aliis poetis praeferre posset. — Deinde illud quoque ad tragicae artis studium referendum est, quod propemodum in unoquoque libro rerum scenicarum saepe mentionem fecit. Nam etiamsi versus tragicorum memoria non tenebat, tamen insidebat in eius memoria totus tragoediarum apparatus. Ita enim in munimentorum descriptione (Cyrop. VI, 1,51), ubi qua crassitudine turrium ligna fuerint evidentius declarat, nullius rei comparatio ei aptior videbatur quam tragicae scenae. Verum paene innumerabiles sunt ii loci [3]), ubi

---

[1]) Comment. I, 4, 3.

[2]) Aelian V. H. II, 13. Diog. L. II, 5,18. Vita Eurip. init.

[3]) Comment. III, 3,13; III, 4,3; III, 5,6. Cyrop. I, 6,18; III, 3,70. De rep. Lac. IV, 2. Hiero IX, 4. Anab. V, 4,12 Hipparch. I, 26. (Comment. II, 2,9; IV, 4,16. Conv. IV, 19; VI, 3. Hipparch. II, 7), quibus adiungenda est, paullo explanatior chori comparatio Oec. VIII, 3, quam a vituperatione criticorum recte, ut videtur, Breitenbachius defendit. Nam quod postea Linckius (Xen. Oecon. in s. urspr. Gestalt p. 100) hoc exemplum reprehendit, nullius est momenti, praesertim cum ipse hoc simile haud inepte adhiberi concedat. Praeterea quod Linckius (p. 100 et 120) hanc chori comparationem ab impostore, quem Xenophontem iuniorem fuisse et ipse Linckius et alii suspicantur, ex Cyrop. I, 6,18 depromptam et ibi tantummodo genuinam esse censet, consentaneum erat eum etiam omnes illos locos ubi idem exemplum occurrit Xenophonti abiudicare. Sed neminem effugere potest sententias quasdam et exempla, quae ad res militares vel imperatoris officia vel rem equestrem pertinent apud eum ita esse contrita, ut iterum iterumque adhibeantur, qua de re quamvis in transcursu verba fecit Haasius l. l.p.16, 17.

exercitus bene instituti disciplinam atque oboedientiam chori scenici ordini similem esse iubet et militum φιλοτιμίαν et φιλοπονίαν iisdem modis, quibus chori ad alacritatem compellantur, inflammari vult. —

Quoniam in poetarum carminibus lectitandis id potissimum spectandum censebat Xenophon, ut fructus aliquis ad morum disciplinam redundaret, eum multo minus in comoediam quam in tragoediam animum intendisse suspicari licet. Et revera perpauca inveniuntur in eius scriptis, quae ad comicorum artem pertinent.

Ex comoediarum enim numero, quae illa aetate quotannis Athenis in scenam editae sunt, tantummodo Nubium Aristophanis mentionem fecit, quia Socrates in hac comoedia illusus est. Quam rem Plato frequentur conquestus est [1]) nec minus Xenophon magistrum dilectissimum ab illis criminibus saepius defendit. Sed cum ex Platonis scriptis, ut Heine l. l. p. 52 sqq. demonstravit, cognoscere liceat Platonem quamquam Aristophanis calumnias improbaret, tamen eximiam huius poetae artem admiratum esse, in Xenophontis libris nihil nisi indignationem et acerbitatem haud consuetam animadvertimus. Cum igitur Aristophanes Socratem insimulavisset, quod nimio rerum caelestium anquirendarum studio teneretur, manifesto Xenophon horum opprobriorum redarguendorum causa (Comment. I, 1,11. IV, 7) Socratem physicorum studia aspernatum esse asseverat. Iam bis in Oeconomico Aristophanem eiusque asseclas subirate petit [2]). Verum etiam magis indignabundus de comoedia iudicat Conv. VI, 6 — 10. Nam ad Philippum γελωτοποιόν hominem ignobilem et abiectum quasi partes κωμῳδιοποιοῦ deferens Aristophanem occulto perstringere videtur. Qua re commotus Madvigius [3]) certam Nubium comoediae denotationem inferre in textum conatus est haud sine aliorum consensu [4]), cum in

[1]) cf. praecipue Apol. 19 C 18 D.

[2]) Oec. XI, 3 cf. Teuffelium ad Nubb. v. 1485; XI, 25 cf. eundem praef. p. 39 et ann. ad v. 114.

[3]) Advers. crit. I p. 359.

[4]) Schenkl, stud. Xen. III p. 168.

§ 7 ἀλλ' οὐ μὰ Δί', ἔφη, οὐ τούτων σε λέγουσιν ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλὰ τῶν ἀνωφελεστάτων tralaticiam scripturam corruptam esse autumans τῶν ἄνω ἐν νεφέλαις τ' ὄντων legendum esse censet. Sed quominus huic coniecturae adstipuler, duae res obstant. Primum enim revera comici aliique τῶν ἀνωφελεστάτων ἐπιμέλειαν Socratis philosophiam vocitare solebant, quod apparet ex Plat. Phaed. 70 C οὔκουν γ' ἂν οἶμαι, ἦ δ' ὃς ὁ Σωκράτης, εἰπεῖν τινα νῦν ἀκούσαντα, οὐδ' εἰ κωμῳδιοποιὸς εἴη, ὡς ἀδολεσχῶ καὶ οὐ περὶ προσηκόντων τοὺς λόγους ποιοῦμαι. Deinde Madvigii correctione aliqua ex parte tollitur iucunditas, quae in vocabulorum lusu quamvis frigido inest, quia non solum ἄνω, verum etiam ὠφελοῦσιν ex ἀνωφελεστάτων enodatur, quod si mutamus non habemus, quo verbum ὠφελοῦσιν referamus. Huc accedit quod haud facile est ad intellegendum, quid sibi velit τῶν ἄνω ἐν νεφέλαις ὄντων ἐπιμέλεια. Videlicet Madvigius ad hanc coniecturam seductus est, quia subinde (§ 8) apertius ad Aristophanis iocum e Nubibus pervulgatum (μετρεῖν τα ψυλλῶν ἴχνη) alluditur [1]). Sed Xenophon minus clare et certo hic comici iocularia profert, ut iure eum talia fama et auditione accepisse suspicari liceat, praesertim cum dictum illud paene in proverbium abierit [2]). —

Neque vero ex indignatione illa, quae ex egregia erga divinum magistrum pietate profecta est, Xenophontis ingenium ab omni festivitate et cavillatione abhorruisse colligendum est. Nam in Convivio multa, quae propter festivitatem salemque satis admirabilia sunt, in narrationem et disputationem immiscuit, ut cum permultae res comoediae facetias et urbanitatem redoleant [3]) tum maxime totus altercationis color, ut ita dicam, Aristophanis comoediis similis sit. Quare probo quod de hac re Grotius (Hist. Gr. vers. vern. IV p. 567 ann. 23) iudicat: „ . . . im Symposion des Xenophon; was meistens ausserordentlich aristophanisch ist." —

---

[1]) Nubb. v. 144 sqq. ibid. v. 831.

[2]) cf. Teuffelium l. l. ad v. 144 et Herbstium ad Xen. Conv. VI, 8.

[3]) Conv. I, 11 cf. Arist. Ran. init; II, 14 cf. Arist. Av. v. 1556, Pac. v. 395, Lysistr. v. 490; II, 24 cf. Arist. Eqq. v. 96, quos quidem locos plerosque Herbstii annotationibus debeo.

Praeterea affert Xenophon duos Epicharmi versus, quibus homines ad temperantiam et strenuitatem adhortetur: Comment. II, 1,21 μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ἐν τῷδε·

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.

καὶ ἐν ἄλλῳ δὲ [τόπῳ] φησίν·

Ὦ πονηρέ, μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

Quos versus postquam Valckenarius [1]) subditicios et a recentiore philologo in margine adiectos esse arbitratus est, editorum alii huic viro doctissimo assensi sunt, alii versus retinendos esse censuerunt. Verumtamen ea argumenta, quibus hos versus suppositos esse student demonstrare, non tantum meo quidem iudicio ponderis habent, ut eos a Xenophonte adscriptos esse negemus. Nam primum nemini offensioni esse potest, quod ad sententiam comprobandam ex compluribus poetis argumenta repetit (λέγει δέ που καὶ Ἡσίοδος, Τὴν μὲν γὰρ κακότητα κτέ· μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ἐπίχαρμος κτέ.), quia Comment. I, 2,20 et I, 2,56—58 eandem argumentandi rationem sequitur. Deinde — id quod summum est — certo scimus Epicharmum apud Socraticos permultum valuisse, quoniam etiam Plato hunc poetam summis laudibus cumulavit sic iudicans Theaet. 152 E καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοί . . . , καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας· κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος [2]) . . . Ceterum quod Lorenzius [3]) in medio relinquit, utrum hi versus ex Epicharmi περὶ φύσεως carmine, quod ab hoc poeta ne philosophiae quidem experte conditum esse suspicatur, an ex aliqua comoedia petiti sint, equidem eos ex comoedia aliqua sumptos esse puto, quia Epicharmo tale de natura rerum carmen adscribere dubito, comoediae autem eius praeceptis moralibus refertae erant [4]). Sed quoquo modo se hoc habet, Xenophon hos quoque versus fando audivisse et memoriae videtur mandavisse.

Iam ut quaestionem ad finem perducamus, quaecunque in eius scriptis ad carmina lyrica spectant, percensenda sunt.

---

[1]) ann. in Xen. Mem. I, 20 et ann. ad Herod. 2,117.

[2]) cetera huius rei testimonia perhibet Heine l. l. p. 52.

[3]) Leben u. Schriften des Koers Epicharmos p. 259 frg. 15 et 16,

[4]) Lorenz l. l. p. 162.

Quae quod perpauca sunt, nemini eius mores consideranti mirum esse potest. Totum enim se rei familiari administrandae et rerum militarium exercitationi dederat nec levioribus poesis oblectamentis aut disceptationibus de eius vi et natura vacabat. Neque vero gnomicos poetas plane neglexit. Nam ex uno [1]) Theognide versum excerpsit atque hoc dictum sibi ante omnia placuisse eo iudicavit, quod bis argumentationis stabiliendae causa ad illud testimonium confugit [2]). Quoniam igitur hac re carmina Theognidis eum novisse et in deliciis habuisse perspicuum est, probabile est quod Leutschius Philol. XXIX p. 517 affirmavit: „Dagegen benutzt Xenophon recht tüchtig die Gnomologie des Kyrnos.“ Acquiescit autem in uno loco, quem iam Schneidewinus Delect. p. 62. ann. ad Theogn. v. 141 adscripsit. Et vero inter Cyrop. I, 6,44 sqq. et eas sententias, quas Theognis v. 133 — 142 pronuntiat, eiusmodi intercedere similitudinem, ut Xenophon carmen illud Theognidis in animo habuisse putandus sit, nemo infitias ibit. Verumtamen, ut supra monui, cavendum in hoc genere est, ne quidquid quasi cognationem quandam prodit ad imitationem referendum esse putemus, cum hominibus simili indole facillime eaedem sententiae excidere possint et persaepe exciderint [3]). Nihilo setius exstant quaedam exempla, quibus Leutschium non errasse perspicuum fit, veluti Comment. III, 1,9 ubi iudicium de moribus hominum comparatur cum eorum arte, qui aurum verum et phengiten flavum seiungere sciunt, quae quidem comparatio a Theognide primum adhibita deinde nobilitata fuit [4]). Quamvis igitur Teognidis carmina saec. V. a. Chr. n., sicuti ex compluribus imitationibus apud Herodotum Thucydidem Euripidem Isocratem con-

---

1) Ceterum apte, ut videtur, suspicatur H. Sauppe ad Plat. Prot. 344 B. alterum versum eodem loco laudatum, cuius nec Xenophon nec Plato perhibet auctorem, ex gnomici alicuius poetae carminibus receptum esse.

2) Theogn. 35 et 36. Comment. I, 2,20 et Conv. II, 4.

3) e. g. Xen. de re equ. VI, 13 ἀπρονόητον γὰρ ἡ ὀργή, ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεται ὧν μεταμέλειν ἀνάγκη et Theogn. v. 1123 et 24.

Οὐδέν, Κύρν', ὀργῆς ἀδικώτερον, ἢ τον ἔχοντα
πημαίνει, θυμῷ δειλὰ χαριζομένη.

4) cf. Eurip. Medea v. 516.

cludere licet, in omnium oribus tamquam proverbia [1]) versata sint, tamen Xenophon peculiare studium in hunc poetam gnomicum convertisse videtur, certe paullo ampliorem eius notitiam quam Sophoclis aliorumque habuit. Quamobrem primo obtutu verisimillimum videtur esse et in ea quae de Xenophontis moribus explorata sunt perbene quadrare, quod ex Stobaci fl. 88,14 eum etiam peculiarem de Theognide librum scripsisse comperimus. Sed quid de hoc fragmento iudicandum videatur, altera quaestione disserere mihi propositum est.

Praeterea nihil de lyrica poesi tradidit, sed nomina tantummodo poetarum appellavit. Simonidem quidem loquentem induxit in Hierone dialogo. Quod ut faceret Xenophontem eo permotum esse arbitror, quod Simonidem usu cum Hipparcho et arctiore amicitia cum Hierone Syracusanorum rege coniunctum fuisse pervulgatum erat. Quare hic potissimum, qui florebat summa gloria ob carminum elegantiam atque sapientiam [2]), ad tyrannidis utilitatem et miserias describendas aptissimus erat. In fragmentis certe, quae restant ex eius carminibus, nihil investigavi, quod Xenophon respexisse possit videri. In universum autem videtur huic poetae maiorem impertivisse honorem, quam Plato, qui nimia severitate hunc poetam exagitavit [3]). — Deinde Xenophon illo loco, quo cuiusque artis tamquam coryphaeos enumerat, Melanippidem commemorat dithyrambicum poetam [4]). Quae commemoratio Xenophontis, qui eum simul cum Homero et Sophocle in praestantissimorum poetarum numerum refert, Melanippidae summo honori est et hoc iudicium, quippe cum alii de illius poetae gloria magnopere detraxerint, in eius arte poetica iudicanda haud negligendum videtur. — Denique liceat hic etiam fabulae Aesopicae mentionem addere, quam Xenophon enarravit [5]). Aliunde [6]) enim scimus, Socrati nec minus sine dubio eius amicis fabulas illas,

---

[1]) Aristot. eth. Nicom. V, 3 καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν· ἐν δὲ δικ. κτλ. Theogn. v. 147.

[2]) Zeller l. l. p. 17.

[3]) Heine l. l. p. 69.

[4]) Bergk. P. L. III p. 1244.

[5]) Comment. II, 7,13. vid. Babrii fab. 130.

[6]) Plat. Phaed. 61 B.

quae mirifice ad homines docendos accommodatae erant, summo oblectamento fuisse, atque Socrates ipse, cum capitis damnatus in vinculis teneretur, complures fabulas in versus redegit[1]).

Restat, ut quae invenimus breviter complectamur: Xenophon eo potissimum consilio poetarum carminibus operam dedit, ut virtus augeretur et mores excolerentur. Maxime amplexabatur Homerum nec minus Hesiodi studiosus erat. Tragoedias tantum non ignorasse videtur, sed scenicam actionem earum animadvertebat. Ex comoediis unam tantummodo interdum notavit, quippe quae ad Socratis sortem multum valuit. Inter poetas lyricos gnomicis maxime animus eius intentus erat atque summam Theognidi auctoritatem tribuit.

Quae si consideramus confitendum est, Xenophontis artis poeticae notitiam angustis finibus circumscriptam fuisse, quoniam omnia fere carmina, quae a vulgari scientia paullo remotiora erant, ignorasse vel neglexisse videtur. Sed tantum abest, ut hanc poeticorum studiorum neglectionem reprehendam, ut talem virum ἀπὸ νέου ἐσπουδακότα ἀμφὶ κυνηγέσια καὶ στρατηγίαν καὶ σοφίαν[2]) ne excusatione quidem egere censeam. Sed cum ille trium potissimum Homeri Hesiodi Theognidis, qui poetae ad puerorum institutionem tum ab Atheniensibus adhiberi solebant, notitiam consecutus sit, merito mihi videor suspicari, eum quodcunque de poetarum carminibus cognitum habuit, puerum vel adolescentem didicisse neque postea huiusmodi studiis vacasse. Quia autem ab iis, qui ex Socratis schola profecti sunt, poetarum carmina saepe vel commendata vel vituperata sunt — id quod ex Platonis dialogis luculentissime apparet et de Antisthene a locupletissimis auctoribus confirmatur[3]), — vix erramus si in Socraticorum circulis tales disceptationes crebro institutas esse putamus. Sed Xenophon ab hac condiscipulorum consuetudine recessit. Nam in Commentariis propter hanc solam causam de poetarum quibusdam locis

---

[1]) Bergk. P. L. II p. 609.
[2]) Arriani Cyneg. I, 4.
[3]) Diog. L. VI, 1,15—18.

quaesivit, quia Polycrates perversam poetarum interpretationem Socrati exprobraverat. Cobeti enim coniecturae [1]), qui κατήγορον in Commentariis non Meletum sed Polycratem sophistam, qui κατηγορίαν Σωκράτους scripserat, intellegendum esse sagaciter et docte demonstravit, non video quid obstet. Namque certe multo verisimilius est, illum sophistam Socrati falsam poetarum interpretationem crimini vertisse [2]), quam Meletum aliosque, qui sine dubio aliis argumentis apud iudices Socratis culpam demonstrare coacti sunt. Praeterea Xenophontem ut de poetarum interpretatione ageret a se paene invito impetrasse apparet, quia non omnia opprobria, quae Polycrates propter poetarum tractationem Socrati obiecit, redarguere dignatus est. Nam in Libanii Apologia Socratis, in qua Dindorfius fere totam Polycratis declamationem conservatam esse arbitratur [3]), plura huiusmodi opprobria quam apud Xenophontem leguntur. Quamobrem, si haec omnia animo complector, reicienda videntur, quae Sengebuschius de Xenophonte disputavit diss. Hom. I p. 139: „Videtur igitur X. ut in Socraticis suis scriptis frequenter iniceret Homeri mentionem rivalitate potissimum Platonis et Antisthenis condiscipulorum suorum fuisse adductus; ut alia quoque διὰ τὸν πρὸς Πλάτωνα ζῆλον fecisse narratur." Sed cum haec tota de simultate Xenophontis et Platonis fabula summis obnoxia sit dubitationibus et a Boeckhio [4]) iam dudum labefactata, sic potius, si omnia quae hac dissertatione demonstrata sunt reputamus, statuendum est:

Xenophon secundum Graecorum morem poetarum operibus ingenii et morum confirmandorum causa imbutus est, qua institutione tantopere Homerum imprimis et Hesiodum et Theognidem adamaverat, ut per totam vitam, etiamsi longe aliis

---

[1]) Novv. Lectt. p. 662 sqq. Schenkl. l. l. II p. 87. Zeller l. l. p. 160,8.

[2]) Comment. I, 2,56 ἔφη δ' αὐτὸν ὁ κατήγορος καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων ποιητῶν ἐκλεγόμενον τὰ πονηρότατα καὶ τούτοις μαρτυρίοις χρώμενον κτλ. ibid. § 58 τὸ δὲ Ὁμήρου ἔφη ὁ κατήγορος πολλάκις αὐτὸν λέγειν.

[3]) Xen. Mem. ed. Oxon. praef. p. XXIV Schenkl. l. l. II p. 13.

[4]) opusc. IV p. 1. Leutsch Philol. XI p. 714.

et ab his studiis umbratilibus remotis negotiis se dederat, horum praeceptorum clarorum memor esset, sed in scriptis suis ibi tantummodo eorum apertam rationem habuit, ubi vel Socraticorum conversationem descripsit, ut in Convivio, aut Socratem a criminibus, quae ad poetarum interpretationem pertinebant, defendit, quod quidem identidem fecit in Commentariis.

Particula II.

De fragmento Xenophontis ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος apud Stob. fl. 88,14.

In Stobaei Florilegii ea parte, quae inscribitur: ὅτι εὐγενεῖς οἱ ἀπὸ χρηστῶν πατέρων ἢ δυνατῶν ἢ ἐνδόξων γενόμενοι (88,14), exstat fragmentum haud ita amplum, quod Xenophontem auctorem prae se fert hac inscriptione: Ξενοφῶντος ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος. Quamquam autem priore quaestione exploravimus, Xenophonti Theognidis carmina nota et comprobata fuisse, tamen non minus eum pro ingenii indole ab eiusmodi disceptationibus, ut peculiari libro de alicuius poetae carminibus ageret, longe abhorruisse pro explorato habendum est. Quamobrem iam dudum exstiterunt, qui dubitarent num merito illud fragmentum Xenophontis nomine circumferretur, cum praesertim adhuc eum in exiguum eorum veterum scriptorum numerum referendum esse putaverimus, quorum opera ad unum omnia conservata atque etiam ab impostoribus amplificata sint. Nec vero defuerunt, qui illum revera talem librum conscripsisse opinarentur. Sed quid illi in hoc fragmento tractando periclitati sint iure omitto, quia Sauppius Xen. op. vol. V p. 293 omnia quae digna sunt memoratu congessit et breviter

percensuit. Addenda sunt, quae Leutschius Philol. XXIX p. 519 sqq. de hoc fragmento disputavit. Sed praeterquam quod tota eius opinio artificiosior est, quam ut quisquam assentiri ei possit, disputationem propterea improbo, quod in fragmento complures sententias discrepantes mixtas latere censet, quod quidem ut infra demonstrabitur minus recte contendit. Praeterea vide annotationem Meinekii Stob. fl. III praef. p. XXIX Ξενοφῶντος] „non dubito, quin corruptum nomen sit."

Itaque primum videamus, numquid in ipsis verbis insit, quod a Xenophontis sermone alienum sit. Qua in re comprobo Sauppii sententiam, qui ipsa loci verba neque adversari censet neque patrocinari eorum iudicio, quibus Xenophontem librum de Theognide conscripsisse probabile visum sit. Nam dictio γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων similis est iis, quae apud Xenophontem Comment. IV, 4,23 legimus: τους ἐξ ἀλλήλων παιδοποιουμένους, nec magis offendere potest anacoluthia: κἆτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι, quoniam talia ne a Xenophontis quidem loquendi consuetudine aliena sunt, ut apparet ex Oec. VIII, 28. Comment. II, 2,5 (cf. Sauppium Lexil. Xen. p. 89 b). Sola haec inveniuntur, quae Xenophonti non videantur tribui posse: καὶ ἔστιν ἡ ποίησις σύγγραμμα περὶ ἀνθρώπων. Nam offensioni est, ut iam Leutschius notavit, quod Theognidis elegiae σύγγραμμα appellantur, quoniam talis vocabuli usus non solum a Xenophontis elocutione (cf. Comment. IV, 2,10 πολλὰ γὰρ καὶ ἰατρῶν ἐστι συγγράμματα) sed omnino a Graecorum sermone abhorret. Σύγγραμμα enim dicitur tantummodo de libris exiguis pedestri oratione conscriptis, quorum argumentum plerumque ad artificum et medicorum et philosophorum et militum artificia pertinet. Quamobrem iure Sitzlerus Theogn. rell. proleg. p. 5 hoc vocabulum uncis seclusit. Sed quid revera de hac voce statuendum videatur infra demonstrabitur.

Priusquam autem longius progrediamur, haud inutile videtur, Bergkii coniecturam considerare, qui P. L. II p. 497 de hoc libro, quem a Xenophonte de Theognide conscriptum esse autumant, sic iudicat: „Xenophontis hic liber nusquam

alibi commemoratur, Heiland existimat, ex integro etiam tunc ἀπομνημονευμάτων opere petitum esse, ego suspicor scriptum olim esse: Ξενοφῶντος . . . . Ἀντισθένους ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος, cuiusmodi errores frequentes in Stobaeo; confer Diog. Laert. VI, 15, ubi Antisthenis libros recenset: περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικός, πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, περὶ Θεόγνιδος δ′ ε′, potuitque Antisthenes nobilitatis contemptor haec scribere; nam continent nihil fere aliud, quam quod Antistheni placuisse Diogenes VI, 11 dicit: ἀπεδείκνυε τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους. Utut est, a Socratico philosopho haec profecta esse apparet.“ Mira mihi fuit haec opinio. Nam nihil in fragmento de quo agimus exstat, quod nobilitatis contemptorem prodat. Non redarguitur Theognidis sententia, sed comprobatur et in una dumtaxat re corrigitur. Sed breviter persequamur, quid incertus fragmenti scriptor perhibeat: Theognis de virtute potissimum et vitiis hominum carmina condidit, qua in re laudandus est, quod nobilitati tantum tribuit. Sententiam autem suam, quam in hominibus diiudicandis secutus est, ita stabilivit, ut a bestiarum natura argumenta repeteret: afferuntur versus Κριους μὲν κτλ. Sed cum hi versus, qui ab initio nobilitatem commendant, inde a verbis ἦν οἱ χρήματα πολλὰ διδῷ ab ea re, quae incerto scriptori demonstranda erat, ita aberrent, ut nobilitas et divitiae inter se repugnantes esse videantur, auctor opulentiam excusat: Meo quidem iudicio, ait ille, poeta homines castigat, quod pravorum hominum divitum societate generis nobilitatem pessumdant, falsam autem sententiam ii tuentur, qui divitias ipsas a poeta vituperari censent, tamquam semper qui divitiarum cupidi sint in vitia incidant et „scientes volentesque“ [1]) genus suum depravent. Multo latius, pergit scriptor, patet poetae praeceptum atque in universum perversa vivendi ratio denotatur. Hae fere, ut mea est opinio, sententiae hoc fragmento continentur. Scriptor igitur sententiam suam de nobilitate Theognidis argumento probat, sed cum inopportuna ei sit divitiarum reprehensio, eam interpretatione nova vitare studet. Quae difficultas ea re orta

[1]) ita recte vertit Meinekius Stob. fl. III, praef. p. XXIX. Supervacanea mihi videtur et Bergkii et Sitzleri coniectura.

est, quod ii homines quos Theognis petit reapse et ignobiles et opulenti fuerunt atque huic poetae sane cum divitiis nequitia arte coniuncta esse visa est[1]). Perspicuum igitur est, Bergkium a vero aberrasse, cum ex Antisthenis libro hoc fragmentum petitum esse suspicaretur. Nam illud quidem, quod scriptor ad sententiam suam comprobandam bestiarum naturam respexit, Bergkii coniecturae suffragatur, quoniam cum omnes Socratici[2]) tum maxime Antisthenes ad praecepta moralia illustranda exempla ex rerum natura petita adhibere solebat[3]). Sed ceterae sententiae plane contrariae sunt Antisthenis disciplinae. Nam Theognidis voluntatem a plebe alienam Cynicis non comprobatam fuisse pro certo affirmaverim, praesertim cum Theognidem a Diogene Sinopensi vituperatum esse traditum sit[4]). Etenim Cynici praeter virtutem, quod sola ad beate vivendum conduceret, omnia commoda bonaque spreverunt et ἀδιάφορα esse duxerunt, ἀρέσκει δ' αὐτοῖς λιτῶς βιοῦν . . . πλούτου καὶ δόξης καὶ εὐγενείας καταφρονοῦσιν[5]). Quae cum ita sint, fragmentum illud minime resipit Cynosargen, quia scriptor nobilitatem ex maiorum praestantia manare et ad liberos propagari censet atque etiam divitiarum vituperationem vitare studet: en Peripateticorum opiniones!

Sed de hac re postea. Nunc proponam sententiam, qua appareat qui factum sit, ut librarii Xenophonti hoc fragmentum adscribentes inciderint in errorem. Facile enim fieri potuit, ut aliquis librarius, cum haec verba legeret: οὗτος ὁ ποιητης περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων, καὶ ἔστιν ἡ ποίησις περὶ ἀνθρώπων, ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειε περὶ ἱππικῆς, a fragmenti scriptore eius viri mentionem inici opinaretur, qui antiquitus rei equestris magister κατ' ἐξοχήν habebatur. Quam rem ut indicaret, in margine adscripsit: ἔστι Ξενοφῶντος σύγγραμμα. Iam supra demonstravi, quantum insit offensionis in vocabulo σύγγραμμα. Nam nullo modo credibile est Graecum aliquem scriptorem

[1]) cf. Welckerum Theogn. rell. prolegg. p. XIII.
[2]) Krohn l. l. p. 129 et 130.
[3]) Zeller l. l. p. 250,7.
[4]) cf. Welckerum l. l. p. LVII.
[5]) Diog. L. VI, 105.

cuiuscunque aetatis Theognidis elegias σύγγραμμα appellasse, quia praecipue scripta quae ad artes quasdam pertinebant sic nuncupari solebant, et Xenophontis scripta minora fere semper sic nominata esse invenimus: Galenus ad Hippocratis libr. περὶ ἀρθρ. 18 301 (Kuehn) διὰ τοῦτό φασιν ἄρχεσθαι τὸν Ξενοφῶντα τοῦ συγγράμματος (Οἰκονομικοῦ) οὕτως· Diog. L. II, 6.56 (Ξενοφῶν) ἀνὴρ τά τε ἄλλα γεγονὼς ἀγαθός, καὶ δὴ καὶ φίλιππος καὶ φιλοκύνηγος καὶ τακτικὸς, ὡς ἐκ τῶν συγγραμμάτων δῆλον. Xen. de re equ. I, 1 συνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἱππικῆς. Quamobrem Sitzlerus quidem laudandus est, quod σύγγραμμα glossema esse sagaciter intellexit, sed non desumptum esse videtur ut ait ex sequenti συγγράψειεν. Potius ex illa annotatione marginali σύγγραμμα vocabulum in textum irrepsit, ut reliqua annotationis pars Ξενοφῶντος vel ἔστι Ξενοφῶντος verae fragmenti inscriptionis corrigendae causa adscripta esse videretur librario. Qui cum ignoraret, ex quo Xenophontis libro illud fragmentum depromptum esset et doctam ut putabat prioris librarii annotationem haud neglegendam esse censeret, non dubitavit, ut erat illiteratus et levis, rem ita expedire, ut alteram inscriptionis partem de suo adderet: ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος, quoniam totius fragmenti argumentum ad eius poesin pertinebat. Ceterum fortasse fragmenti initium Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ M., de quo infra disputabimus, aliquid in hac re valuit.

Non me fugit coniecturam meam non nemini satis audacem et paene temerariam visum iri, sed cogitandum est, quam graviter in Stobaei fl praecipue excerptorum inscriptiones corruptae sint. Nam quod librarius Xenophontis nomen fragmento nostro inscriptum sine ulla dubitatione recepit non mirum est, quoniam ex Xenophonte potissimum Stobaeus excerpta sua petivit. Praeterea etiam in inscriptionibus excerptorum, quae revera ex Xenophontis libris sumpta sunt, interdum lapsi sunt librarii, veluti Schenkelius eiusmodi errorem l. l. III p. 109 notavit. Nec inauditus est huiusmodi casus, ut verba in margine adiecta apud Stobaeum irrepserint in textum et a librariis apte quoad fieri potuit cum genuinis verbis coniuncta sint, cuius rei exemplum manifestum, quod simillimum est ei

quod in vocabulo σύγγραμμα accidisse dixi, Finkhius indagavit Philol. XI p. 467. Quantopere autem totus locus perturbatus fuerit, etiam ex Ps. Plutarcho de nobil. c 15 [1]) luculentissime apparet, qui stolide, nisi dedita opera legentem frustrari volebat, sic descripsit: Ταῦτα μὲν Θεόγνιδος περιφέρεται ὡς ὁ Μεγαρεὺς Ξενοφῶν λέγει.

Iam si quaerimus quae fuerit fragmenti quod in manibus est vera et genuina inscriptio, puto eum titulum, quem librarius aut dedita opera reiecit aut quod nescio quomodo evanuerat supplevit, sic scriptum fuisse: Τοῦ αὐτοῦ. Nam id fragmentum, quod (apud Stob. 88.13) praecedit, ex Aristotele sumptum est: ἐκ τοῦ Ἀριστοτέλους περὶ εὐγενείας, atque hoc nostrum fragmentum ex eodem libro petitum esse contendo. Sed quo facilius ea argumenta quae mihi suppetunt intellegantur, argumentum illius de nobilitate dialogi quod quidem ex ceteris fragmentis enucleari potest adumbrabo simulque quem locum fragmentum obtinuisse videatur demonstrabo.

Omnia huius dialogi fragmenta apud Stob. fl. 86,24; 86,25; 88,13 conservata sunt. Quae fragmenta et quaecunque praeterea ad hoc opus pertinent composuit V. Rose Aristot. pseudepigr. p. 96 — 101. — Peripateticis placebat ad bene beateque vivendum praeter virtutem etiam bona externa et fortunae et corporis necessaria esse [2]). Quamobrem etiam de nobilitate et divitiis quaesiverunt, num hae in bonorum numerum referendae et cuius pretii essent. Ita huius dialogi auctor sibi proposuit, priorum qui de nobilitate iudicaverunt sententias percensere et universam nobilitatis notionem examinare, cf. Rosium l. l. p. 96. E. Heitz, die verlorenen Schr. des Arist. p. 147. Sed ita ut fere fit in dialogis Aristotelicis, quos postea imitatus est Cicero, progreditur oratio, ut ab uno oratione paene perpetua, quae raro brevibus aliorum responsionibus interrumpitur, quaestio proposita tractetur.

---

[1]) Nam recte sine dubio I. Bernays (die Dialoge des Aristoteles p. 141) contra Rosium (Aristot. pseudepigr. p. 97) hoc de nobilitate opusculum non a Plutarcho scriptum sed ex Stobaei fl. compilatum esse demonstravit.

[2]) Zeller II b [3] p. 516.

Instituit igitur Aristoteles vel potius Peripateticus quidam disputationem (frg. 1. Rose) περὶ τῆς εὐγενείας δυνάμεως disserens. Qua in re principio Lycophronis sententiam affert, qui nobilitatem quamvis ex volgi opinione speciosam contemnebat. Atque hanc dialogi partem, qua nobilitatis contemptoris exemplum continetur, Stobaeus idcirco recepit in id caput, quo demonstratur ὅτι εὐγενεῖς οἱ κατ' ἀρετὴν ζῶντες κἂν μὴ λαμπρῶν ὦσι γεγονότες πατέρων καὶ ἀγαθῶν τὸν τρόπον. Num exinde aliorum quoque qui nobilitatem repudiabant iudicia in dialogo secuta sint, dubium est, sed hoc verisimile, hac priore dialogi parte Theognidis mentionem factam esse, cuius sententia Lycophronis sententiae opponebatur. Nam hic poeta, cuius nobilitatis studium antiquitus notissimum erat, necessario se praebebat tamquam locupletissimum testem unicuique, qui nobilitatis laudatorem quaerebat. Atque in hunc locum fragmentum illud, quod Xenophontis nomine circumferebatur, inserendum esse puto. Sed quoniam in hac dialogi parte praeclarissimus nobilitatis defensor allegatus est, Stobaeus hoc fragmentum posuit in illo loco, ubi exempla eorum affert qui censent ὅτι εὐγενεῖς οἱ ἀπὸ χρηστῶν πατέρων κτλ.

Altera disputationis parte quaeritur τίνας δεῖ καλεῖν εὐγενεῖς. Iterum variae et diversae sententiae afferuntur. Post Socratis commemorationem Simonidis dictum proponitur, qui quinam nobiles essent interrogatus respondit: οἱ ἐκ πάλαι πλουσίων· Pergit Aristoteles: καίτοι κατὰ τοῦτον τὸν λόγον οὐκ ὀρθῶς ἐπιτιμῶσιν ὁ Θεόγνις οὐδ' ὁ ποιητὴς ὁ ποιήσας (Eurip. fr. 399 Nauck apud Stob. fl. 92,3) ὡς ὅτι „τὴν μὲν εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοί, μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖσι πλουσίοις." Sed quid sibi vult haec tam inopinata Theognidis allegatio? Nam Theognidem divitias vituperare dictum non est. Recte igitur suspicatus est quamvis dubitanter Th. Gaisford, Ioh. Stobaei Ecl Oxon. 1850 Tom. II Addenda ad Stob. fl. p. 857 ad p. 201 i. e. ad tit. 86,25: Θέογνις] „respicit fortasse locum infra citatum Tit. LXXXVIII, 14 p. 211." Vidimus enim scriptorem fragmenti perperam Xenophonti adscripti Theognidis de nobilitate sententiam laudavisse, sed obtrectationem divitum reiecisse. Hoc autem loco manifesto respicit Aristoteles quae illo fragmento continentur. Quod si verum

est, sequitur ut huius dialogi et fragmenti de quo agimus auctor idem sit. Nam denuo hic in memoriam legentis revocatur Theognidis sententia, quem in universum quidem recte iudicare, sed propter id (κατὰ τοῦτον τὸν λόγον) quod divitibus obtrectetur a recto aberrare puto, non minus quam Euripidem, qui item versibus citatis nobilitatem et opes contrarias sibi esse censeat. Sic intelligitur repentina Theognidis mentio, qua Ps. Plutarchus tam obstupefactus fuit, ut verba (c. 18) ita confunderet: καί τοι κατὰ τοῦτον τον λόγον οὐκ ὀρθῶς ἐπιτιμῶσι. Θέογνις δὲ ὁ ποιητὴς ὁ ποιήσας, sequuntur versus Euripidis. Quae autem praeterea hoc fragmento 2. continentur omitto, quia nihil ad rem pertinent. Ceterum haec pars a Stobaeo iterum in id caput recepta est, ubi enumerantur eae sententiae, quae Theognidis sententiae contrariae sunt.

Longius procedens (frg. 4.) Aristoteles nobilitatis notionem ita definiverat, ut nobilitas generis familiaeve praestantia (ἀρετη τοῦ γένους) esset. Quamobrem rectius eum nobilem appellari, cuius genus iam dudum nobilitate floruerit, quam qui ignobili loco natus sua tantummodo praestantia excellat. Sequitur autem ex ipsa nobilitatis notione, ut etiam ii qui nobilitatem et virtutem confundant errent. Ad summam soli ὀρθῶς ζητοῦσιν οἱ τὴν ἀρχαίαν ἀρετὴν προτιθέντες. Redit igitur perspicue scriptor ad Theognidis sententiam, quam principio commendaverat et tamquam ipse huius rei haud immemor sic pergit: ὅταν οὖν ἐγγένηται τοιοῦτος εἷς τις ἐν τῷ γένει καὶ οὕτω σπουδαῖος ὥστ' ἔχειν τὸ ἀπ' ἐκείνου ἀγαθὸν πολλὰς γενεάς, τοῦτο σπουδαῖον ἀνάγκη εἶναι τὸ γένος· πολλοὶ γὰρ ἔσονται σπουδαῖοι ἄνθρωποι, ἄν τε ἀνθρώπων ἦ τὸ γένος, ἄν τε ἵππων ἵπποι· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων. Atque hoc loco Theognidis significatio tam aperta iam Welckero visa est, ut sine ulla dubitatione l. l. p. LXI de his verbis iudicet: „Theognidis memor est." Quocirca a Stobaeo quoque haec pars dialogi, qua Aristoteles iterum proxime ad Theognidis de nobilitate sententiam accedit, in id caput recepta est, ubi testimoniis confirmatur ὅτι εὐγενεῖς οἱ ἀπὸ χρηστῶν πατέρων ἢ δυνατῶν ἢ ἐνδόξων γιγνόμενοι.

Quoniam igitur demonstravi, quo casu hoc fragmentum, de quo quaerimus, Xenophonti adscriptum sit, et explicavi, quibus indiciis commotus putem id petitum esse ex Aritotelis de nobilitate dialogo, ex quo Stobaeus alia tria fragmenta deprompsit, relinquitur ut nonnullas quaestiunculas, quae ad fragmenti verba spectant, breviter absolvam. Atque principio nemini potest offensioni esse, quod fragmentum minime redolet Aristotelis brevitatem artificiosam et praecise loquendi consuetudinem, quoniam inter omnes constat orationem in dialogis Aristotelicis valde a libris esotericis discrepasse, qua de re sic disputat Rosius l. l. p. 24: „nec tam suavitate praestitisse intelligitur quam simplici quadam tenuique quaestionum cognitu suavium faciliumque et vulgarium expositione, quae ex Homero passim ducebatur," quod quidem etiam de nostro fragmento dici potest. Vid. praeterea E. Heitz l. l. p. 154 sq. I. Bernays l. l. p. 136 ann. 5 — Porro notabile videtur fragmenti initium: Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως· οὗτος ὁ ποιητης κτλ., de quo nemo adhuc disputavit. Mihi quidem sic res se habere videtur: Postquam Aristoteles dialogi initio Lycophronis et fortasse aliorum de nobilitate iudicia persecutus est, mentionem fecit eorum carminum, quibus nobilitas valde celebratur. Et de his Theognidis carminibus sic fortasse Aristoteles disputavit: totum harum elegiarum corpus quamquam variam habent indolem et mirum in modum diversissimas res humanas celebrant, adscribitur tamen uni Theognidi poetae Megarensi, legimus certe in ipso libelli initio: Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως. Subinde autem pergit: οὗτος ὁ ποιητης κτλ. Hoc fortasse modo fragmenti initium explicandum est et talis de carminum auctore dubitatio Aristotelis vel Peripatetici alicuius philosophi ingenio admodum digna est. — Sitzlerus l. l. in his verbis η οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθως ἔχειν vocabulum ἀρχή ex Peripateticorum more loquendi principium vel fundamentum intellegendum esse censet et hanc significationem argumentis stabilivit ann. 31. Non me poenitet ei assentiri, praesertim cum haec coniectura, si modo fragmentum ex Aristotelico dialogo depromptum esse recte contendo, multo probabilior fiat. Etenim ἀρχῆς notio apud Aristotelem

tam late patet, ut „omnino saepe dubites, utrum ἀρχή unice initium significet, an alia quaedam notio, imprimis notio causae, accedat.“ [1]) Atque in aliis huius dialogi fragmentis ἀρχή vocabulum principii notione identidem adhibetur (cf. Bernays l. l. Man erkennt hier dieselbe Anwendung der Begriffe ἀρχή als ‚Initiative‘, welche für alle Theile des peripatetischen Systems so wichtig wird.) Quare locum illum sic vertendum esse censeo: Was nun den ausgangspunkt (in seiner beurtheilung menschlicher ἀρετή und κακία) betrifft, den er bei seinem dichten zu grunde legt, so kann ich diesen nur billigen; er geht nämlich vor allem aus von der edeln geburt — Statim apparet in sequenti enuntiato: ὥετο γάρ — ἀγαθὰ εἴη, ubi Theognidis iudicium explicatur, γεννήσοντα corruptum esse et scribendum esse γεννήσαντα. Nam inepte dicitur: nemo est bonus, nisi sunt boni, qui eum (aliquando) genituri sunt. Quocirca Welckerus l. l. p. LVI iam silentio γεννήσαντα restituit itemque Brunckius gnom. poetae gr. p. 280, ubi hoc fragmentum „ex Reg. cod. descriptum“ proposuit, praebet γεννήσαντα.

Quae cum ita sint, priore fragmenti parte inde ab initio usque ad verba ἀγαθα εἴη in universum dumtaxat tractatur Theognidis de nobilitate sententia et regula, quam in hominibus diiudicandis secutus sit. Exinde demum fragmenti scriptori venit in mentem peculiaris et nova argumentandi ratio, quam Theognis in nobilitatis vi ac natura illustranda adhibuit: ἔδοξεν οὖν αὐτῷ κτέ. Quare luculentissime apparet, eos versus quos Aristoteles ad hanc peculiarem poetae ratiocinationem demonstrandam adscribit, omnino non pertinere ad priorem fragmenti partem, ubi universum illius de hominibus iudicium quod certis exemplis demonstrare non necessarium erat explicatum est. Scite igitur Sitzlerus observavit, si ἀρχήν pro initio accipiamus, ineptam oppositionem effici, tamquam ei initium illud quidem comprobatum fuisset, sed minus comprobata reliqua operis pars. Porro autem, si Aristoteles versus Κριοὺς κτλ. allegans initium libri praebuisset, non introduxisset versuum allegationem verbis: δηλοῖ δ' ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν. —

1) Index Aristotelicus.

Nullo igitur alio consilio Aristoteles hoc carmen citavit, quam ut demonstraret quemadmodum poetae, qui nobilitatis studio magnopere indulgeret, etiam ex rerum natura exempla repeteret. Cum autem iis versibus quos attulit nobilitas quidem praedicetur, sed divitiae castigentur (πλοῦτος ἔμιξε γένος), illico ut supra demonstravi studet scriptor hoc opprobrium comminuere et postea (frg. 2) denuo hanc perversam divitiarum obtrectationem denotavit. Quocirca non dubito, quin πολυπραγμοσύνη vocabulo, quod curiositatem rerum alienarum ad nos minime pertinentium significat, praeferenda sit lectio πολυχρημοσύνη. Atque ut magis sint perspicua, quae tota commentatione eruimus, totum locum propono, quemadmodum eum restituendum esse censeo.

„Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως.“ οὗτος ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων, καὶ ἔστιν ἡ ποίησις περὶ ἀνθρώπων ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειε περὶ ἱππικῆς· ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν· ἄρχεται γὰρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι· ᾤετο γὰρ οὔτε ἄνθρωπον οὔτε τῶν ἄλλων οὐδὲν ἂν ἀγαθὸν εἶναι, εἰ μὴ τὰ γεννήσαντα ἀγαθὰ εἴη.

Ἔδοξεν οὖν αὐτῷ παραδείγμασι τοῖς ἄλλοις ζώοις χρήσασθαι, ὅσα μὴ εἰκῇ τρέφεται, ἀλλα μετὰ τέχνης ἕκαστα θεραπεύεται, ὅπως γενναιότατα ἔσονται· δηλοῖ δ' ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσι·

Κριοὺς μὲν κτλ.

Ταῦτα τὰ ἔπη λέγει τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐπίστασθαι γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων κᾆτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι. οἱ δὲ πολλοὶ ἐκ τούτων τῶν ἐπῶν οἴονται τὸν ποιητὴν πολυχρημοσύνην τῶν ἀνθρώπων κατηγορεῖν, καὶ ἀντὶ χρημάτων ἀγένειαν καὶ κακίαν ἀντικαταλλάττεσθαι εἰδότας· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ ἄγνοιαν κατηγορεῖν περὶ τὸν αὐτῶν βίον.

Alfredus Rausch de vita sua.

Natus sum ego Theodorus Christianus Alfredus Rausch a. d. VIII. Id. Mart. anni h. s. LVIII Treffurti, quod oppidulum ad Werram fluvium situm est, patre Friderico, matre Ida e gente Schulze, quos adhuc vivere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis Treffurti imbutus vere anni h. s. LXIX gymnasium adii Mulhusanum; unde examine maturitatis superato universitatem petii Lipsiensem anno h. s. LXXVII in studia philologica incubiturus, scholasque frequentavi virorum doctissimorum Biedermann, Braune, Brugman, Curtius, Drobisch, Edzardi, Heinze, Hildebrand, Lange, Ribbeck, Trautmann, Windisch, Wundt, Zarncke. Ubi cum per biennium egissem, Halas Saxonum transii acroasibusque interfui virorum illustrissimorum Dittenberger, Erdmann, Haym, Hiller, Keil, Kramer, Thiele, Zacher. Seminariorum sodalis fui Lipsiae extraordinarius theodisci (per III sem.), ordinarius Halis philologici (per I sem.), societatum Lipsiae sanscritanae, quam Windisch vir doctissimus regimine suo moderabatur, (per II sem.), Halis theodiscae Zacherianae (per I sem.) et philologicae Hillerianae (per I sem.)

Cum omnes quos nominavi viros optime de me meritos pientissimo animo colere nunquam desinam, tum maxime virorum amplissimorum Windisch Hiller beneficia in me collata memoria semper prosequar gratissima.

MULHUSIS, TYPIS RÖBLINGIANIS.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA

3 0112 077327002